

## 18) Parochiales.

## a) Ministri.

Vd.: *Vesp. Dignit. et Canon.* (Ministri, decr. n. 3934);

## b) Pluviale.

Cf.: *Versiculi; Benedicamus etc. Dedicatio Eccles. (vesp.); Pluviale; Vesp. (pluviale).*

Hebdomadarius seu alium, qui Officium faciat, in Vesperis solemnibus indui debere *pluviali* a principio Vesperarum usque ad finem; quod eo magis observandum est, ubi assistentes quoque pluviali essent induti, abusu quocumque non obstante. n. 56. die 20. Julii 1593.

In Vesperis Sacerdotem pluviali indutum esse debere. n. 1653 die 5. Oct. 1652.

## c) Sedes.

Beneficiati cum pluviali Vesperarum Officium absolventes sedere non debent in banco, in quo sedent canonici. n. 2082 ad 4. die 20. Novb. 1660.

*Ad dub.*: An Capellanus de Massa solemniter Vesperarum officium peragens cum pluviali sedere debeat in loco, ubi sedere solet Canonicus hoc munus absolvens? S. C. resp.: *Negative*. n. 2083 ad 4 die 18. Decb. 1660.

Cf. *Sedes Celebrantis et Ministr.*

## 19) Pluviale.

Vd.: *Vesp. paroch. (pluviale.) Pluviale.*

## Tranen.

Ex asserta diuturna consuetudine pene immemorabili in ecclesiis sancti Sepulchri et s. Jacobi vulgo de Bartetta intra fines archidioecesis Tranen. illud est in more positum, ut dum in solemnioribus missas solemnes et vespas celebrant rectores earum, praeter ministros inservientes eis assistunt alii sex presbyteri pluvialibus induti. Quum autem a consuetudine ista, quae nullo apostolico indulto innittitur, dif-

ficile admodum sit desistere absque fidelium admiratione et scandalo, rectores ipsi Sacrorum Rituum Congregationem humillime rogarunt, ut eam confirmare dignaretur, adeo ut licite deinceps in ea perseverare valeant. Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum hodierna die coadunata in ordinariis comitiis, ad relationem R. D. infrascripti pro-secretarii, omnibus maturo examine perpensis, rescribendum censuit: Permitti posse quoad vespas solemnes tantum. Die 10. Januar. 1852.

(Anal. J. P. 1832 p. 734).

*Ad dub. Theatinorum*: An eorum hebdomadarius quando celebrat Vesperas debeat accipere pluviale a principio Vesperarum illudque durantibus Vesperis usque ad finem retinere vel satis sit illud accipere ad Capitulum et retinere usque ad finem Vesperarum, prout hactenus consueverunt? Sacra Rituum Congregatio respondit: Circa pluviale servandum esse eorum consuetudinem. Hinc potestne concludi istam praxim esse licitam in omnibus Ecclesiis, quamvis Caeremoniale Episcoporum lib. 2. cap. III. n. 1. indicet pluviale ab initio accipiendum, vel potius supradicta responsio estne concessa specialis pro Theatinis, quae extendi non debet et in aliis Ecclesiis servandum Decretum diei 20. Julii 1593 in Calaguritan. (vd.: *supra n. 56.*) statuens quod hebdomadarius in Vesperis solemnibus indui debeat pluviali a principio Vesperarum?

S. C. resp.: *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857. p. 2194.)

*Addub.*: *Utrum attentata consuetudine canonici, qui in solemnitatibus vespas officium faciunt, possint manere in habitu choralis usque ad ca-*

*pitulum et tunc tantum assumere pluviale? Item an liceat ipsis in officio solemniter matutini et laudum nunquam se pluviali induere et incensare Altare?*

*Resp.*: Quemadmodum et caeterae divini officii horae ita et vespas antiquissimae sunt in Ecclesia habitaeque semper tamquam omnium diei horarum maxime solemnes et respondebant vespertino sacrificio, quod Deus ab haebreis fieri volebat. Quapropter tum ordines romani tum pontificalia ac ritualia omnium fere ecclesiarum jubent diebus solemnioribus ab ipso episcopo sacris vestibus induto, integrum persolvendum esse vespas officium. His apprime consonat Caeremoniale Episcoporum, quod lib. II. cap. de vespis solemnibus episcopo in crastinum celebraturo haec praecipit: Postquam episcopus ad ecclesiam pervenerit... paratisque omnibus canonicis amictibus et sacris paramentis deponet cappam capietque sacra indumenta... Cum episcopus sic paratus paululum sederit surgit deposita mitra et versus ad altare dicit secreto: Pater noster etc. Quod si episcopus in crastinum non erit celebraturus, sed tamen vespis solemnibus assistere voluerit, praefatum Caeremoniale (lib. II. cap. 2) constituit ut ipse sacris paramentis indutus vespas incipiat ac perficiat. Non solum autem episcopus verum etiam canonicos diebus dominicis aliisque festis sacris indumentis amictos integras vespas persolvere teneri satis expresse demonstrat Caeremoniale Episcoporum. Siquidem in lib. II. cap. 3. ita legitur: „In Ecclesiis cathedralibus, absente episcopo, et in collegiatis canonicus hebdomadarius paratur in sacristia pluviali coloris temporis convenientis super rocchetto, si eo utatur, aut super colla et cum eo parantur quatuor aut sex presbyteri de gremio ipsius ecclesiae non tamen

canonici; coadunatisque canonicis et aliis de clero in chorum praedictus canonicus celebrans procedet e sacristia... ipse canonicus celebrans surgit, surgentibus omnibus de choro, qui secreto dicit: Pater noster etc. Supradicto ordine semper diebus dominicis et festis, quae a populo observantur, a canonico hebdomadario tam in collegiatis, quam in cathedralibus ecclesiis, absente episcopo, vespas officia celebrantur. „Haec quoque S. Congregatio in una Calaguritan. die 20. Julii 1593 decrevit: „Hebdomadarius seu alium qui officium faciat, in vespis solemnibus indui debere pluviali a principio vespas et sic indutum permanere usque ad finem. Quod eo magis observandum est, ubi assistentes quoque pluviali induti essent. Abusu quocumque non obstante.“ (Vd. p. 742 n. 56.) Quod et confirmavit in una Hieracen. diei 14. Maii 1644. Ex his itaque evidenter apparet, in vespis pluviale assumendum non esse ad capitulum sed antequam vespas officium inchoetur.

Officium vero matutini et laudum, licet minorem praesferat solemnitatem, veteres tamen, diebus saltem solemnioribus, consueverunt iisdem fere ritibus persolvere, quibus vespas officium celebrabant; in praesenti autem disciplina ex Caeremonialis Episcoporum dispositione (lib. II. cap. 6) sequenti ratione perficiendum est: „In cathedralibus et collegiatis ecclesiis absente episcopo hora competentis congregantur in sacristia omnes canonici, ubi iduuntur suo consueto habitu canonicali. Canonicus quoque seu alius dignior presbyter ecclesiae missam celebraturus induitur eodem habitu canonicali vel alio suae dignitati convenienti, quo in ecclesia uti consuevit. Qui sic congregati incipiunt progredi versus chorum... Postquam omnes venerint ad loca indicante



caeremoniaro surgit canonicus praedictus et dicit secreto: Pater noster etc. Circa finem tertii nocturni Canonicus faciens officium accipit pluviale coloris tempori congruentis et duo cantores similiter, cum cantatur octavum responsorium, duo acoliti sumunt candelabra duo, quae cum candelis accensis deferunt ante canonicum paratum et ea tenent, donec legerit totam lectionem et inceperit hymnum *Te Deum*. Hymno expleto incipit laudes, in quibus omnia servantur, quae de vespere in collegiatis superius dicta sunt. Ex dictis itaque colligitur in officio etiam matutini et laudum ab hebdomadario et cantoribus assumendum esse pluviale, et cum cantatur *Benedictus* thurificandum esse altare. Utrum autem id praestandum sit omnibus diebus festivis vel tantum in solemnioribus ex Caeremoniali non apparet. Quapropter hac in re videtur standum esse locorum consuetudini, dummodo tamen id non omittatur in solemnioribus anni diebus quemadmodum haec S. Congregatio constituit in una Neapolitana die 13. Junii 1676.

Quae cum ita sint in ea sum sententia constitutus ut scribatur: *Negative ad utramque partem.*

S. C. resp.: In voto Magistri Caeremon.

Die 16. Apr. 1861.

(Anal. J. P. 1861 p. 787.)

## 20) Pontificales.

Si Episcopus erit solemniter Missam sequenti die celebraturus Vesperae solemniter peraguntur, quam si non esset celebraturus. Quod praecipue in his vigiliis observari solet, videlicet, Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, Epiphaniae, Ascensionis, Pentecostes, ss. Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis beatae Mariae Virginis, Om-

nium Sanctorum, Dedicationis Ecclesiae, sancti Titularis Ecclesiae et Patroni Civitatis.

*Secundae Vesperae* poterunt etiam per Episcopum eadem solemnitate celebrari, saltem in Dominica Resurrectionis et in die Nativitatis Domini nostri Jesu Christi ac in festo sancti Titularis Ecclesiae et sancti Patroni Civitatis.

(Caer. Ep. I. II. c. n. 2. 3.)

Vd.: *Solemnit. Pontif.*

## 21) Primae incipiunt festum.

Vd.: *Solemnitas.*

Sacrae solemnitates regulariter a I. Vesperis initium sumunt. Caer. Ep. I. II. c. 1. n. 1.

## 22) Quadragesimales.

(Hora recitandi in choro.)

Exceptis Dominicis recitari solent in Cathedralibus et Collegiatis vespere post matutinam conclonem; *ex can. Solet, de consecr. dist. 5., Cajetan. in summ. verb.: hora; Ceccoper. lib. II. num. 22.*

(Ex resol. S. C. C. diei 23. Jan. 1790. *Abulen.*)

*Ad dubium*: An sit licita consuetudo cantandi vespere post prandium in die Dedicationis Ecclesiae, quo festum plurimum cadit tempore quadragesimali? S. C. resp.: *Servandas esse rubricas.* n. 1535. die 21. Julii 1645.

Vd.: *Pontificalia Episcopi.* (Dies etc.)

## 23) Recitatio ante meridiem in choro.

Vd.: p. 749. n. 26.

Caven et Sarnen.

Exstat in Civitate Sarnensi Collegiata et Parochialis Ecclesia Deo in honorem s. Matthaei dicata, ubi praeter Rectorem Parochum et quatuor Hebdoma-

darios decem adsunt Canonici, quorum singuli ad Chori servitium quotidie obeundum obstringuntur. At vero inservientium numerus ad duos Hebdomadarios et ad sex dumtaxat Canonicos imminutus in praesentiarum deprehenditur; quatuor autem ex iis senio sunt fere confecti, qui aestivis praesertim mensibus extra civitatem valetudinis curandae causa abire solent. Hinc supplices una cum Rectore Parocho Canonici Sacram hanc adierunt Congregationem rogantes, ut mensibus Junio, Julio, Augusto et Septembri sibi liceat Vesperas et Completorium ante meridiem recitare. Aestivo enim tempore valde infensum esse referunt Sarnensis Civitatis coelum atque ipsam quoque Collegiatam Ecclesiam altiori ejusdem Civitatis loco prope montem adeo sitam, ut non sine gravi incommodo pomeridianis horis ad eam accedere possint.

Rogatus Episcopus, ut non modo de causis, ob quas aliquot praebendae suis nunc carent possessoribus, sed de annuo etiam cujuslibet praebendae reddito et oneribus, nec non de vera necessitate indulti ac de tempore ad id necessario referret, haec in suis literis habuit: „Il motivo di non esseri provveduti li tre Canonicati e perche ancora verte la questione se debba e non rimanere essa Chiesa Collegiata oppure ricettizia, attesa la mancanza della Bolla di erezione vi è proibitione ministerialmente comunicata da poterli provvedere. Per li due Eddomadariati poi, perchè i medesimi sono a carico del Collegio, i Canonici non vogliono provvederli perchè ricavandosi il loro stipendio dalla decima, ed essendo questa mancata, non hanno su di di che soddisfarli.“

„La rendita poi prebende è la seguente una con i pesi, incluse anche la messe; Quella del Rettore ascende a Ducati 148 di regno sa dei quali

vi gravitano di pesi Ducati 88. 06; quella della prima prebenda e di Ducati 87. 06, e pesi Ducati 62. 68, della seconda Ducati 242. 06, pesi Ducati 90, della terza Ducati 63. 51, pesi Ducati 48. 19, della quarta Ducati 204. 17, pesi Ducati 70, della quinta Ducati 67. 42, pesi ducati 28. 60, della sesta Ducati 177. 16, pesi Ducati 114. 70, della prima prebenda vacante Ducati 135. 77, pesi Ducati 73. 12, della seconda vacante Ducati 200. 03, pesi Ducati 85. 23, della terza finalmente Ducati 219. 68, pesi Ducati 108. 48. Gli eddomadariati hanno Ducati 16 per ognuno, che sono pagati dallo stesso Collegio.“

„Interno poi alla localita della Chiesa posso suggiunge e, che la medesima essendo situata sopra la Citta versa il monte, nei tempi estivi si soffre nelle ore pomeridiane a giungervi. Quindi attesa la situazione sopraccennata della Chiesa, non che lavanzata eta di quattro attuali Canonici, e la vacanza dit e Canonicati e due Eddomariati sarei di parere, che si potesse annuire alla dimanda per tre mesi soltanto della estate, cive Luglio, Agosto e Settembre, avendo anche considerazione all' Aria malsana di quella Citta, pel quale motivo i miei antecessori qualche volta si sono arbitrati a concedere tale licenza da per loro restando pero esclusi i giorni festivi.“

Ea primis Ecclesiae temporibus disciplina invaluit, ut vespere hora duodecima post solis ortum, Completorium vero post occasum solis, ingruente jam nocte, recitarentur. *Benedict. XIV. Instit. 107. §. 4. n. 20.*

Ast de austeriori hac disciplina postea temporis aliquantulum remissum fuit eaque inveni coepit consuetudo, ut binae illae divini Officii horae, quemadmodum et ceterae, commodiori tempore a Canonicis saecularibus in choro persolverentur. Hinc quod in Clemen-



tina I. de celeb. Missar. statutum legitur, divinum nempe Officium in Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis debitis horis esse psallendum, ita plane intelligi debet, ut eo tempore recitetur, quod in omnibus hodie Ecclesiis ex legitima observantia sancitum est, cui absque gravi causa non esse derogandum refert *Fagnan.* in lib. 1. Decret. cap. *Consuetudines* de Consuetud. num. 14 et S. Congr. in Cingulana Servitii Chori 29. Martii 1817 §. I. dubium. Jam vero neminem latet illud apud omnes tam Collegiatas quam Cathedrales Ecclesias in more nunc positum esse, ut Vesperae et Completorium nonnisi post meridiem possint recitari. Quae autem viget praescriptio de horis canonicis certo quodam tempore persolvendis ex constanti et universali Ecclesiarum usu rite constituta, hanc quidem servandam omnino esse tradit *Vega* in Sum. verbo: *Horae* num. I, *Ceccoper.* Lucubr. canon. lib. 2. num. 19, S. Cong. in Derthonen. Constitutionum capitularium 12. Septembris 1829 §. Porro.

Verumtamen id ex adverso receptum compertumque est ut aliqua intercedente aut necessitatis aut utilitatis causa opportunum tribui soleat indultum, quo Capitulares nonnullas ex canonicis horis alio, quam praefinitum est, tempore valent recitare, *Brasch* in Promptuar. Synod. Cap. 86. n. 13, *Ceccoper.* loc. cit. num. 20, *Benedict.* XIV. Instit. 107. §: 4. num. 20., S. Congregatio in Segovien. 25. Jan. 1794. §: Recitandum. Huic autem rei ipsa pluries adhaesit S. Congr., quemadmodum probant exempla in Abulen. Servitii Chori 23. Jan. 1790, in Pissaren. Servitii choralis 27. Aprilis 1822, in Massenen. 14. Decbr. 1822 et in Derthonen. Constitutionum 12. Sept. 1829 ad I. dub., ubi tum ob praesens valetudinis discrimen propter loci ac coeli naturam tum aliis legitimis

de causis agitur, quarum ratio sedulo habenda videretur. Canonicorum precibus indultum est ut necessariis et opportunis facultatibus Ordinariorum arbitrio et prudentia ad id tributis, possent illi post absolutas horas vespertinas Matutinum et Laudes diei sequentis in choro persolvere. Quin etiam, ubi aestivis mensibus adeo infensus foret aer, ut Canonici absque gravi valetudinis detrimento Ecclesiae inservire non possent, eadem S. Congregatio ita aequam et legitimum exinde causam adesse censuit derogandi ss. Canonum sanctionibus, ut modo servitium chori ad mediarium reducerit ceu in Castri Maris Servitii Chori 30. Julii 1735, modo etiam Canonicos ab ipso residendi onere atque integro chori servitio per aliquod tempus exempterit veluti in Grossetana Servitii Chori 18. Martii 1820 et 20. Martii 1830. In themate erit EE. VV. discernere, utrum justae adsint utilitatis et necessitatis causae, quae expetitam a Sarnensi Capitulo veniam tribuendam suadeant. Profecto ex Antistitis testimonio aestivis mensibus videtur plerumque contingere, ut quatuor senes Canonici, qui adversa laborant valetudine, sese choralis servitio eximant, et pro ea curanda a civitate proficiscantur. Hinc duo tantum superessent Canonici, qui una cum binis Hebdomadariis debeant quotidie per aestatem divini officii recitationem in choro praestare. Hoc vero oneris cum ubique locorum esset incommodum iteratis vicibus Ecclesiam in urbis vertice positam, prout in casu, et manere et post meridiem adire, tum eo etiam magis permolestum, ne sine summo valetudinis damno esse conjicitur in civitate Sarnensi, cujus coeli aspirationem mensibus praesertim Julio, Augusto et Septembri ita gravem et saluti calamitosam esse refert Ordinarius, ut eisdem Antecessores Episcopi auctoritate

sua non dubitaverint eam quandoque Canonicis veniam impertiri, quam ipsi nunc flagitant ab hoc S. Ordine, exceptis tamen festis diebus. Suis itaque precibus futurum ut EE. VV. ex aequitate et indulgentia subscribant, sibi pollicentur Rector Parochus et Canonici Oratores. Neque enim hi audent narratis de causis reductionem servitii choralis aut ab residentiae lege exemptionem exostulare, sed illud solummodo petunt, quod si iisdem concedatur, certe nihil detrimenti ex eo capturum chori servitium arbitrantur.

#### Dubium:

*An et quomodo sit concedendum indultum in casu?*

S. C. resp.: Affirmative juxta votum Episcopi ad quinquennium, nisi prius augeatur numerus Canonicorum, facto verbo cum SSmo.

Die 12. Apr. 1832.

#### 24) Regulatio.

Vd.: *Festum* (Dignitas), *Vesperae dimid.*, *Vesp. integ.*

*Ad dubium:* Quomodo regulari debeant vesperae, si concurrant duo Pont. Mart. vel Pont. Mart. cum Mart. non Pont. vel M. cum Conf. vel duo Confess. Pont. aut non Pont. vel Pont. cum non Pont. vel duae V. Mart. aut M. non Virg. vel Virg. non Mart. cum M. non Virg. Si utrumque festum occurrens sit dupl. per annum maj., an vesp. debeant dividi et fieri a cap. de seq. cum com. praec., vel semper habenda sit ratio dignioris, ita ut de eo fiant vesp. integ. cum com. alterius? S. C. resp.: Dignitas personarum attendenda est in solis eorum festis, quae expressa sunt in eadem rubrica dict. n. 1. vers: Inter festa. n. 3122 ad 2 die 20. Julii 1686.

*Ad dub.*: Etsi semper habenda sit ratio dignioris, quomodo attendenda sit hujusmodi dignitas, si concurrant

duo PP. vel duo MM. non PP. vel duo CC. PP. vel duo non PP. vel duae VV. MM. vel duae VV. non MM., vel duae MM. non VV., si utraque sunt dupl. per annum majora?

S. C. resp.: In casibus praepositis nullam habendam esse praeferebant sed Vesp. fore dividendas. n. 3122 ad 3 die 20. Julii 1686.

Ex parte Fr. Francisci a Neapoli infrascriptum dubium S. R. C. demisse declarari supplicatum fuit: Supponunt nonnullae Ecclesiae (et hoc ex earum Calendariis) ss. Martyres in concurrentia Officiis duplicis cum s. Confessore debere habere vesp. integras propter majorem dignitatem et nobilitatem, quam habet Martyr prae Confessore et hanc majorem dignitatem ac nobilitatem tribuunt etiam Confessori concurrenti cum Virgine sicque in concurrentiis, quae possunt accidere, tribuentes semper integras Vesperas ei, quem putant digniorem, non aliter ac fit in concurrentia festorum Domini, B. M. V., Angelorum et Apostolorum. Quaeritur: An haec major dignitas intersit et attendenda vere sit inter Officia aequalis ritus et ejusdem solemnitatis aut potius standum sit praescriptioni Rubricarum Breviarum romani de concurrentia Officii n. 2, quae dicit: „Regulariter fit a capitulo de sequenti etc.“

Et eadem S. R. C. censuit respondendum:

„Negative.“

Et ita declaravit et servari mandavit. n. 3819. ad 1. Die 14. Decembris 1709.

*Ad dubium:* Occurrente festo dupl. 2. cl. octavam habente cum dominica Septuag., si forte transferatur ad sequens Sabb., 2. Vesperae erunt ut in